

100. (14)59. 16. August. Ebrach. — Abt Burchard von Ebrach an den Convent (von Wilhering): ... Ex littera vestra nobis per fratrem Vitum transmissa intelleximus devociones vestras nostrum cordialiter desiderare adventum pro actu visitacionis vestro monasterio impendendo etc. Recepimus super hoc eciam litteras domini abbatis<sup>1)</sup> vestri idem desiderantis, cui et prefiximus diem et locum, in quibus nos suscipere et ad monasterium vestrum cum salvo conductu adducere debebit ... velitis interim, si qua vobis adversa occurrerint, equanimiter sustinere ... Ex Ebraco sexta decima mensis Augusti anno etc. LIX. (F. 168', 169.)

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

## Scholae Benedictinae

sive

De Scientiis opera Monachorum Ordinis S. Benedicti  
auctis, excultis, propagatis et conservatis

### Libri Quatuor

a Domino Odone Cambier Monacho Affligeniensis Monasterii  
Ordinis ejusd. S. Benedicti.

Habet in Claustris Sapientia  
regulas suas, erigens sibi Scholas  
inde Veritatis, hinc Virtutis.

(Stephan. Tornac. Episc. Epist. 97.)

(Transsumptae ad MS. Bibliothecae Regiae Belgici Regni. Bruxellis Nr. 13552.)

### De Vita Auctoris.

Auctor opuseuli, cui titulus »Scholae Benedictinae«, et quod tandem hic dari delectet, Monachus Brabantinae Affligeniensis insignis Abbatiae fuisse invenitur. De ipso scribit Sanderus in sua Chorogr. S. Brabantiae tom. I. p. 49: Odo Cambier Gerardimontanus, ubi in celebri Benedictini Ordinis schola aliquando Rhetoricam docuit, vir ingenio eleganti, eruditione rara, judicio aeri, piusque ac sedulus in functionibus suae vocationis asceta. At nuper eheu! in flore aetatis annos quippe tantum triginta octo natus, anno hujus saeculi LI (1651) nobis ereptus est; et die XVIII Maii, ipso videlicet in coelum ascendentis Christi festo, uti confidimus, in coelum cum Christo ascendit. Non immerito scriptoribus Affligeniensis Coenobii accensendus est. Praeter enim egregiam in postumis Haefteni scriptis edendis ac nominatim in Venatione ejus Sacra praestitam operam, in schedis reliquit (praeter alia forte quae mihi haecenus non innotuerunt) a se contextum »Chronicon Affligeniense« amplum et accuratum; Tractatum item de »Veteribus Ordinis Benedictini Scholis.« Hunc igitur Odonis nostri tractatum, cujus unum tantum, multis factis indagationibus, quod est Bruxellis in Bibl. Regni sub nr. 13552 servatum MS., exemplar superesse videtur, quasi antesignanum merito existimaveris omnibus, qui dein cum clarissimo Mabillonio humanis literis etiam Monachos vacare voluerunt. Si quid vero desiderandum in ipso veniat, divisionem in libros non factam, capitumque numeros aliquando non

<sup>1)</sup> Ulrich III.

recte additos dices; sed haec Auctori praematura morte sublato culpa non verteris, cum rebus ipsis luce clarius distinguantur. Ne tamen ulli Lectori labori sint neve MS. corruptum a me quis autumet, alio caractere locis suis desiderata indicentur.

D. Gabriel Willems, O. S. B. Affligeniensis,  
de licentia Rmi. P. Abbatis et Visitatoris sui.

## Scholarum Benedictinarum

Libri primus: De Scholarum origine, illarumque in Occidente Auctore praecipuo.

Capitulum I. Scholae Etymon. Varia significata. Quid Scholasticus et Scholaris.

Schola unde dicta. Ab ipso capite et ovo, quod dicitur, Scholas Benedictinas, illustrans, vocis etymologiam, et quaecumque ad illam, explicare, pretium operae putavi.

Schola igitur Graecis σχολή, duci possit a σχεῖν,<sup>1)</sup> hoc est, inhibeo, cessare facio. Nec male etiam derivaveris a σχολάζω,<sup>2)</sup> id est, vaco, sive, quod innuit Ausonius ἀπὸ τῆς σχολῆς,<sup>3)</sup> a vacatione laxamento, quod interdum adolescentibus datur, unde nepoti scribit:

Et cessare licet. Graeco Schola nomine dicta est;  
Justa laboriferis tribuantur ut ocia Musis.<sup>4)</sup>

Verum aliter, et per antiphrasin explicat Pompeius Festus, nec ex mente votoque puerorum, ut arbitror, quibus ludere et feriari gratius, quam libros vessare. Scholae dictae sunt, inquit, non ab otio, ac vacatione omni, sed quod ceteris rebus omissis, vacare liberalibus studiis pueri debent. Ut etiam ludi appellantur, in quibus minime luditur, ne tristi aliquo nomine fugiant pueri suo fungi munere.

Quid significet. Quod ad nominis significationem attinet, Scholae nomen latissime fuderunt veteres in locos omnes, quo artificii cujuslibet, aut scientiae addiscendae exercendaeve caussa coibant. Jam vero vel pueris notum est, Scholam, Scholasque vulgatissimo significato, ludum litterarium designare, seu locum illum, in quo quis vacat literarum studiis. Graeci vocant Gymnasium, Paedenterium, Didascalion, Phrontisterium. In Jure civili, Patribus, Historiis et Ritibus Ecclesiasticis, variae nominantur Scholae, de quibus singillatim agere non est huius loci. Nam ecce in solo Orientis imperio undecim fuere Scholae, novem armatae militiae, duae inermes, quarum institutionem et

1) MS. legit: σχεω; 2) item σχολάζω; 3) et σχολῆς. 4) Auson. Eidyll. 4.

munus exponit Julius Caesar Bulengerus.<sup>1)</sup> Placet tamen et illa acceptio, qua Schola sumitur pro doctrina, quae in ludo literario traditur; pro exercitio item scholastico docendi, discendi, disputandi cujusmodi exercitationes in Ordine nostro viguisse, alio loco ostendam. Proprium illud video Ciceroni, ut etiam Scholas pro disputationibus in ludo haberi solitis usurpet. Atque en eius verba: Hanc perfectam Philosophiam semper iudicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere, in quam exercitationem ita nos studiose operam dedimus, ut iam etiam Scholas Graecorum more habere auderemus.<sup>2)</sup> Hinc eidem explicare Scholam, est controversiam vel quaestionem per tractare. Primum deprecor, ait, neme tanquam Philosophum putetis Scholam vobis aliquam explicaturum, quod ne in ipsis quidem Philosophis magnopere unquam probavi.<sup>3)</sup>

A Scholis derivatur Scholaris, sive Scholasticus, quam vocem varie a variis usurpatam lego.

Primo quidem, ut annotavit Sandaeus,<sup>4)</sup> olim Scholasticus dicebatur Declamator, qui se aliosque in fictis causis exercebat, qua nomenclatura Plinius<sup>5)</sup> Suetonium, et Isaeum Scholasticos vocat. B. Hieronymum hoc sensu ad Pammachium ista scribere crediderim: Meminisse te puto erroris mutui, quando omne Athenaeum Scholasticorum vocibus resonabat.<sup>6)</sup>

I. Scholasticus idem quod Declamator.

Secundo, deductum est vocabulum Scholastici ad quamlibet facundum, et in oratoria egregie exercitatum. Sulpitius Severus, latinissimus sane inter Christianos scriptor, ita accepisse visus dialogo primo: Quum sis Scholasticus, hoc ipsum quasi Scholasticus artificiose facis, ut excuses imperitiam, qui exsuperas eloquentia. Unde Scholastico apparatu dicere, est, oratorie, facunde, probabiliter, fuse ac floride rem omnem exponere.

II. Orator disertus.

Tertio, posteriori saeculo, Advocatus qui veras causas tractat, dictus est Scholasticus. Tacitus lib. de Oratoribus: Scholastici nomine primum nuncupati sunt Rhetores, et declamatores litium fictarum, deinde a fictis litibus transiit ad veras. Legendus de hoc B. Augustinus tract. 1. in Joann. et Macarius Homil. 15.

III. Advocatus.

Quarto, amplior est Scholastici significatio, pro viro docto et erudito, ac variarum disciplinarum

IV. Vir eruditus.

<sup>1)</sup> Buleng. de Imper. Rom. 1. 3, c. 6, al. 4, c. 19. — <sup>2)</sup> Cicer. lib. 1. Tusc. — <sup>3)</sup> lib. 2 de Fin. — <sup>4)</sup> Sand. Gramm. prof. comm. 1. n. 11. — <sup>5)</sup> Plin. lib. 2. ep. 3. — <sup>6)</sup> Hieron. ep. 26.

studioso. Ita in Vitis Patrum Eulogius vocatur Scholasticus quia vir saecularibus literis eruditus. Palladii Lausiaca ex veteri interpretatione ita habet: Hic Eulogius Scholasticus erat et eruditus vir. Vide Rosweydi Onomasticon ad vitas Patrum, et Meursii Glossarium Graeco-Barbarum.

V. Studio-  
sus. Quinto, Scholasticus pro homine in literis occupato, et musis dedito capitur; iungiturque cum Philosopho apud profanos, ut in epistola Juliani Caesaris ad Maximum. Estque ea significatio antiquissima, adstipulante Augustino: Quum Scholastici solum proprie dicantur ii, qui adhuc in Schola sunt, omnes tamen qui in literis vivunt nomen hoc usurpant.<sup>1)</sup> Posterioribus saeculis, studiosi, seu qui scholae operam dant, leguntur maxime vocati Scholares.

VI. Theo-  
logus. Sexto, Scholastici denominantur Theologi illi, qui sacram doctrinam accurata methodo, et ad Philosophicam normam succinete tradunt.

VII.  
Magister  
scholae. Septimo denique, contractior est Scholastici usurpatio in Ecclesiastico munere. Vetus enim consuetudo fuit in Ecclesiis designandi virum gravem et eruditum, qui Clericos inferioris subselli, tum in concentus, tum disciplinis ad Grammaticam spectantibus instrueret, ne dum sacras odas recitant non nisi syllabas, ut psittaci, profundere norint. Hic Magister Scholae quondam dicebatur, nunc solemniter titulo Scholasticus, ab aliis Scholarcha; fuitque ea dignitas plena honorificae et gravissimae auctoritatis. Habuerunt et Coenobia Benedictina suos Scholarchas et Scholasticos, quos usitato vocabulo Scholae Rectores, vel Magistros dicebant; Trithemius tamen perpetuo Scholasticos appellat, de quibus alio loco plura.

## Caput II. Scholarum antiquitas ex Sacris Literis vestigata.

Abrahami  
Patriarchae  
schola. Qui de Academiarum institutione et disciplinarum scientiarumque dignitate commentarios scripsere ab ipso primo parente Adamo illas arcessunt, a quo nimirum Seth, et ab ipso Noë sacris literis imbutus fuerit. Hinc Abrahamum scientias hominibus tradidisse, cuius Schola nominata sit Quercus more, hoc est, Quercus Monstratoris sive Doctoris. Thargum Hierosolymitanum apud Lipomanum habet peregrinos abs magno patriarcha in vera religione eruditos et ad vitae melioris instituta conversos. Nonnulli vero aiunt eundem in urbe Dabir, sive Cariathsepher,<sup>2)</sup> quam scriptura

<sup>1)</sup> August. lib. de diab. — <sup>2)</sup> Jos. 15.

Civitatem literarum nominat, aperuisse ludum doctrinarum, et urbem eandem esse cum Tetrapla, in qua Xenophon ait Phoenicum Scholas floruisse. Jacob Abrahami nepos, ut tradunt Hebraeorum Theologi, totos quatuordecim annos Scholam Heber frequentavit. Hinc ubi nos in Genesi<sup>1)</sup> legimus: Jacob vir simplex habitabat in tabernaculis,<sup>2)</sup> Onkelus vertit, erat minister domus doctrinae, Delrio, Auditorem sapientiae, interpretatur, et hinc colligit Academiarum antiquitatem.

De Mose res certior, quem S. Stephanus refert eruditum omni sapientia Ægyptiorum, Scholam instituisse. Nam a Chaldaeo paraphraste in cap. 3 Canticorum, Princeps Scholae et Magister dicitur. Cyrillus<sup>3)</sup> scribens contra Julianum Apostatam, ait Mosem Grammaticam Hebraeis tradidisse. Idipsum longe ante prodiderat apud Clementem<sup>4)</sup> Alexandrinum Eumolpus in libro de Judeae Regibus, ubi ait Mosem primum sapientem fuisse, primum item Grammaticam docuisse Judaeis, ab iis Phoenices, a Phoenicibus Graecis accepisse. Per Grammaticam autem intelligunt multiplicem humanitatis et literarum cognitionem. Idem Leviticis Scholas instituit, in iisque iussit profiteri, quos divinae literae vocant *γσαμματωεισαγωγῆς* vel ut vertit S. Augustinus, Grammato-Isagogos,<sup>5)</sup> hoc est inquit, literarum inductores, vel introductores. Vulgatus interpres aliquando vertit<sup>6)</sup> Magistros, aliquando Doctores.

Memorat et Abulensis Antistes sparsa fuisse Samuelis, Eliae et Elisaei temporibus per Judaeam Collegia et Emporia literarum, ut in Bethel, in Hiericho, in Rama, in quibus praeter alios auditores fuerint Filii prophetarum, hoc est, discipuli quia discipuli vocantur filii Magistrorum: et isti erant multi viri habentes vitam religiosam, qui volebant esse perfectiores reliquis de populo, et conveniebant in locum unum, ubi erant prophetae, et ubi vacabant doctrinae eorum, et Laudibus Dei. Ita Tostatus ex Hebraeis et Lirano.

Sed nefas fuerit silentio involvere Gymnasium, quod in monte Sion<sup>7)</sup> opere pulcherrimo constructum ferunt. Appellatur illud in sacris monumentis, domus doctrinae,<sup>8)</sup> ut Sanctes Pagninus vertit, et in Ecclesiastico

1) MS.: Genegi. — 2) Gen. 25. — 3) Cyr. lib. I. in Jul. — 4) Clem. Al. I. I. Strem. — 5) Aug. I. 18. de civ. c. 39. — 6) Deuter. 29. — 7) 4 Reg. 22. 14. — 8) Eccli. 51. 31.

domus disciplinae. S. Joannes Chrysostomus<sup>1)</sup> vocat διδασκαλειον τῆς γῆς, Scholam orbis terrarum. Chaldaeus paraphrastes in cap. 2 Cant. Gymnasium doctrinae Dei. Nominatur etiam in divinis literis Turris David. Itaque in Canticis<sup>2)</sup> ubi vulgata legunt, sicut Turris David collum tuum quae, aedificata est cum propugnaculis: in Hebraeo est, sicut turris David, constructa ad disciplinas: vel ut Pagninus vertit, quae aedificata est ad docendum. In ea vero Salomonem docuisse multorum sententia est, in quibus sunt Paulus, Sherlogus tom I, in Cant. Antelog. 9, sect. 2, Pineda de rebus Salomonis lib. 3, cap. 28 prolixè.

Caput. III. Gymnasia sacra in Orientali Ecclesia. Quando in Occidentem immigraverint.

Scholae Alexandrinae Magistri. Divina Providentia factum credunt eruditi, ut nascente Fide in Oriente, mox etiam Scholae formandis ad virtutem hominum moribus, ab Ecclesiae principibus erigerentur. Sic Alexandriae nobillissima schola fuit, quae ab Eusebio<sup>3)</sup> nominatur Sacrarum disciplinarum Gymnasium a Nysseno autem scaturigo<sup>4)</sup> verae Philosophiae. Huius institutionem S. Marco Evangelistae tribuendam censent, quod ex S. Hieronymo lib. de Scriptor. Eccles. in Pantaeno recte colligunt. Hic Pantaenus summae prudentiae et eruditionis vir, lampada Clementi tradidit, de quo S. Hieronymus<sup>5)</sup> haec memoriae posterorum tradidit: Clemens Alexandrinae Ecclesiae presbyter, Pantaeni auditor, post eius mortem Alexandriae Ecclesiasticam scholam tenuit, et κατηχήσεων Magister fuit. Is vero apud Eusebium et Nicephorum diserte refert in Schola Theologicas expositiones praelegi solitas, a Petro, Jacobo, Joanne, Paulo aliisque Apostolorum acceptas et traditione derivatas ad posteros. Idem Clemens docuit magnum Originem, supra homines aevi sui sapientem, cui et successor in Catecheticis a Demetrio Episcopo datus est. Magna commendatione pietatis atque doctrinae succenturiati deinde sunt Heracles, tum Dionysius, Mhenodorus, Pierius, Didymus ille luminibus captus, alique clari nominis Doctores.

Caesareae in Palaestina. Iisdem prope temporibus, Caesareae in Palaestina ludum sacrarum literarum aperuit eiusdem loci Antistes, evocato ad eius moderationem Origine, e cuius disciplina tum alii viri doctissimi, tum S. Gregorius Thaumaturgus, qui omnium instar esse possit, prodire. Eiusdem Scholae praeses legitur apud Nicephorum Pamphilus,<sup>6)</sup> doctrinae et Martyrii laurea illustris, qui divinae Philosophiae profanam in ea Academia feliciter

<sup>1)</sup> Chrys. in psal. 47. — <sup>2)</sup> Cant. 4 et 7. — <sup>3)</sup> Euseb. 1. 5, c. 10. — <sup>4)</sup> Nyss. cont. Apell. — <sup>5)</sup> Hier. de Scriptor. Eccl. — Niceph. lib. 5, c. 10.

coniunxit. Huius cum laude meminit S. Hieronymus, et Eusebius Caesariensis, qui ob singularem cum hoc viro amicitiam, Pamphili dictus est.

Antiochiae fuisse quoque Gymnasium,<sup>1)</sup> inter alios Nicephorus tradidit. In hoc Dorotheus presbyter Antiochenus divinae mentis oracula pandidit, quem multi praestantes viri, tum Eusebius ipse Pamphili doctorem audire meruit. Ibidem summa eruditionis fama sacras literas explicavit Malchion, egregius Sophista et presbyter Antiochenus. Sic Diodoro Tarsensi Episcopo in Ecclesia divinas literas profitente, accurebant undique discipuli, Joannes Chrysostomus, Theodorus, qui deinde fuit Mopsuestiae Cilicum Episcopus, et Maximus, qui Seleucia praefuit, alique summi viri. Eusebius Emisenus studiorum cursum Edessae confecit, ut refert Socrates.

Gymnasium Antiochenum.

Constantinopoli pias eruditionum Scholae a magno Constantino institutas habemus ex Paulo Diacono,<sup>2)</sup> et durasse ad annum DCCXXVI. quo ab impio Leone Isaurico destructae sunt. Divinas hic scripturas praelegit S. Gregorius Nazianzenus, qui meruit B. Hieronymum, sanctiorem dicam ac doctiorem e Patribus, auditorem habere, ut ipse variis locis prodidit.<sup>3)</sup> Ex Curopalate tres in primis Scholae sacras in hac Ecclesia fuisse constat, nam inter officia magnae Ecclesiae numerat Doctorem Evangelii, Doctorem Apostoli, Doctorem Psalterii. Porro Bardas Caesar accitis Magistris has Scholae ab Isaurico dissipatas restituit, ut habet Baronius;<sup>4)</sup> qui et refert quarto saeculo Athenis florentissimas fuisse scholae.

Scholae Constantinopolitanae.

At serius aliquanto in Occidentem sacra Gymnasia immigrarunt. Quod bellis, quae Italiam potissimum multos per annos in illa Barbarorum inundatione attriverunt, adscribendum. Sane studia pacis furor bellicus non tantum interturbat, verum et barbariem quandam invehit, ut frustra sint, qui inter horricos belli tumultus, ingenio rem culturae locum esse opinantur. Optaverat quidem Agapetus Papa, anno Christi DXXXV. adnitere doctissimo Cassiodoro,<sup>5)</sup> Romae sacrarum literarum arcana in Lyceo aperiri, verum propter bella ferventia, et turbulenta nimis in Italiae Regno certamina, ut eiusdem Cassiodori verbis loquar, desiderium id elusum est. At non longe post Romanum Gymnasium divinarum institutionum excellentes professores ornarunt, de quibus suo loco. Migrasse vero ex Graecia in Romanas

Ut in Occidentalem Ecclesiam studia migraverint.

<sup>1)</sup> Id. lib. 6, c. 35. — <sup>2)</sup> Paul. lib. 21. — <sup>3)</sup> Hier. 1. 1. Cont. Jov. de Script. Eccl. — <sup>4)</sup> Bar. an. 859. — <sup>5)</sup> Cassiod. in Praef. div. lect.

arces optimas quasque, sublimioresque disciplinas, ex Helinando scribit Vincentius Belvacensis,<sup>1)</sup> idemque tradit Lupoldus Bobenbergius, libro de veterum Germanorum principum zelo, cap. 2, tom. 15. bibl. PP. magnae Coloniensis, quod et Abbati Spanhemensi, lib. 2 de vir. illust. Ord. S. Benedicti, c. 26, aliisque placuit.

Caroli  
Magni de  
constituen-  
dis Scholis  
decreta.

Magnam inde Carolus Magnus apud posteros laudem meruit, qui non tantum literas quasi ab interitu revocavit, earumque professores in pretio habuit et exornavit; verum et Ecclesiarum ac Monasteriorum ditionis suae Antistibus literas de statuendis scholis scripsit, atque in Capitularibus<sup>2)</sup> iussit, ut Scholae fiant per singula Monasteria vel Episcopia.

Item Con-  
ciliorum.

In Concilio Valentino<sup>3)</sup> actum est inter Patres de Scholis tam divinae quam humanae literaturae instaurandis. Idem tribus post annis, videlicet anno Christi DCCCLVIII. Nicolao Romano Pontifice, Carolo et Lothario Galliae Regibus in Concilio Tullensi<sup>4)</sup> agitatum lego: ubi hortantur Patres Episcopos omnes atque Principes, jubentque, ut constituentur ubique Scholae publicae, ut utriusque eruditionis, et divinae videlicet et humanae, in Ecclesia Dei fructus valeat accrescere. Eugenius Papa II. in Romano

Concilio<sup>5)</sup> praecipit, ut in omnibus Episcopis, omni cura et diligentia Magistri et Doctores constituentur, qui studia literarum, liberaliumque artium dogmata assidue doceant. Deinde vero in Concilio Lateranensi<sup>6)</sup> sub Alexandro III. et postea sub Innocentio fuit constitutum, ut in Metropolitanis Ecclesiis essent Theologiae et Grammaticae doctores, qui non modo ipsos Clericos et Sacerdotes, verum et quoslibet alios, rectissimis utilissimisque doctrinis imbuerent. Sed quod Benedictinos proprius tangit Clemens V.<sup>7)</sup> ita de iisdem decrevit: Rursus ut ipsis Monachis proficiendi in scientia via opportuna non desit, in singulis ipsorum Monasteriis, quibus ad hoc suppetent facultates, idoneus teneatur Magister, qui eos in primitivis scientiis instruat diligenter. At vero Benedictus XII. plurima his addidit, et prolixas admodum de studio Benedictino tam in Monasteriis, quam Academiis, leges tulit. De quibus, aliisque, quae in singulis Regnis et Provinciis eam in rem decreta factaque sunt, commodius postea dixero; nam sine Monachorum Benedictinorum opera et labore nihil fere memoratu dignum gestum est.

<sup>1)</sup> Vinc. spec. Hist. l. 23, c. 173. — <sup>2)</sup> In Cap. c. 72. — <sup>3)</sup> Conc. Val. c. 18. — <sup>4)</sup> Conc. Tull. can. 10. — <sup>5)</sup> Dist. 51. — <sup>6)</sup> Conc. Lat. c. 11. — <sup>7)</sup> Cap. Ne in agro.

Caput IV. Haeretici Scholarum hostes. Lutheri et Symmystarum eius deliria. Novatores Monasteria in Scholas convertunt. Reiecta ipsorum commenta.

Non tantum diabolus excisa vellet sacrarum literarum emporia, et ignorantiae tenebris Christianum orbem involvi, verum et infideles atque haereticos ad Academiarum excidium stimulat et accendit. Norunt illi in Scholis tela cudi, quibus sua deliria et falsae opiniones conficiuntur: inde illas nituntur excindere. Quod acriter pervidit noster Angelomus<sup>1)</sup>: Haeritici, inquit velut Philistaei omnibus modis cavent, ne pro eorum occasione viri Catholici arma possint habere spiritualia. Hinc et Michael Psellus<sup>2)</sup> ait bonarum artium ubique studium ab Haereticis Antichristi praecursoribus profligatum, qui cum professores abigere, Scholarum aedificia demoliri, gloriam duxerint, quid aliud demonstrarunt, quam (ut ille venuste perpendit) tam absurdas exlegesque actiones nihilo Bachanalibus Orgiis, esse meliores; ut hoc si quo potissimum argumento, plane furiosos amentesque intelligamus. Praevisse omnibus hac in parte videtur Julianus Apostata, cuius quum alia facta adversus Christianos Ammianus satis collaudet, tamen eius fama indignum id arbitratus est, vetuisse nimirum ne in Scholis scientias iuventuti explicarent. Illud autem, inquit, inclemens obruendum silentio, quod arcebat docere Magistros Rhetoricos et Grammaticos ritus Christiani cultores.<sup>3)</sup> Deinde alter scelestissimus imperator Leo Isauricus, ut primum lue Iconomachorum infectus est, Scholas Constantinopolitanas destruxit, ut refert Paulus Diaconus.<sup>4)</sup>

At fortasse recentioris memoriae sectarii veterum illorum inhumanitatem sanctiori disciplina correxerint? Vide horrenda monstra! Constantiensis Synodi octava Sessione inter detestandos Wiclefi errorum articulos vigesimus nonus est: Universitates, studia, Collegia, graduationes, Magisteria in iisdem, vana gentilitate esse introducta, et tantum prodesse Ecclesiae sicut diabolus. Quid Lutherus? stoliditate et impudentia nihilo inferior, qua scribendo, qua declamando in Scholarum excidium Germanicam Nobilitatem armavit. Postquam, ut scribit Adrianus VI.,<sup>5)</sup> exlex homo, contemptor et violator legum omnium, in tantam erupit mentis vesaniam, ut sanctissimorum Patrum decreta, et Ecclesiasticos Canones igne publico

Haeretici  
cur Scholas  
oderint et  
exseindant.

Wiclefi et  
Lutheri im-  
pudentia.

<sup>1)</sup> Angel. in I. Reg. c. 13. — <sup>2)</sup> Psell. Diall. c. 6. tom. 2. Bibl. PP. —  
<sup>3)</sup> Amm. S. 22. — <sup>4)</sup> Paul. Hist. l. 21. — <sup>5)</sup> Tom. 4. Conc. Epist. 2. ad  
Fred. ducem.

concremare non formidaret; Scholas Christianas, quae tam multos doctissimos sanctissimosque viros, tam egregias in Ecclesia Dei columnas nobis protulerunt, impudica lingua sua, lupanaria, Sodomas et Gomorrhas ubique vocare non verecundatus est.

Carolstadii  
et Melanchthonis  
deliria.

Sed qui eius asseclae? Auctor est Laurentius Surius, Carolstadium et Melanchthonem dicere non erubuisse, nefas esse homini Christiano literis deditam ac vitare vitam. Atque ut magis insaniam proderent suam, Carolstadius ex Archidiacono factus est agricola in rure Wittenbergensi: Melanchthon in pistrino artem pistoriam meditabatur: plerique adolescentes artium liberalium combustis libris, mechanica opificia amplexi sunt. Denique hae prodigiosa illorum hominum temeritate, eo res perducta est, ut multis locis Scholae clausae tenerentur annis aliquot. Legatur Jacobus Gretzerus in *Luthero Academico*, et Nicolaus Serarius in *Orat. 2. Luthero Turcica*, quae inscribitur: *Utrum recte Philippus Melanchthon ex artium Magistro Pistor, Andreas Carolstadius ex Theologiae Doctore Arator, rusticusque Corydon factus sit.*

Novatores  
ex Monasteriis  
scholas faciunt.

Sed alio spiritu eodemque erroris agitati videntur alii eiusdem Lutheri Symmystae: qui ut vitam Monasticam elevent, imo eius memoriam abolitum eant, sacra Monasteria et Asceteria nil nisi Scholas, ludosve fuisse somniant, in quibus pueri instituerentur. Unde sicubi in recensendis historiis occurat Coenobium, Monasterium, mox Scholam rescribunt. Agmen inter huius farinae homines ducit Gaspar Bruschius, qui abhinc centum annos Monasteriorum Germaniae Chronologiam non bona fide, quod tamen ipsa fronte operis iactat, contexuit. Hunc ex ea parte laudandum putavit, Gaspar Rudolphus Lemburgensis, atque audi quomodo aselli se mutuo scabant:

Ille lares prima deducit origine sacros,

Et fundatores, quot fuerintque, refert:

Quod fuerintque Scholae, aut fuerint exempla Scholarum

Et doctis tantum texta habitata viris.<sup>1)</sup>

Eiusdem genii et ingenii Joachimus Vadianus in praefatione ad farraginem antiquitatum Germaniae, ait, Scholarum vice Coenobia fuisse. Certo nobis argumento sunt, inquit, Bibliothecae Monasteriorum vetustae, hoc ipsum tum illis saeculis Monasteria et Coenobia fuisse, quod nostris Gymnasia sunt et Academiae Principum liberalitate fundatae. Sic ille a Goldasto editus

<sup>1)</sup> Carm. ante Chronol. Bruschi.

Tom. 3. Aleman. antiq. Pudet et sane pigetque referre, inquit Surius,<sup>1)</sup> quam multa et impudenter, et petulanter, atque etiam imperite stolidè hac de re a quibusdam sectariis confingantur. Scripsit quidam Guilelmus Radensis Epistolam dedicatorem in Chronicon Hirsaugiense Joannis Trithemii Abbatis. Is multus est in laudando illo Abbate, sed quaedam tamen illius oblique perstringit. Ait, satis liquere, Monasteria olim nihil aliud fuisse quam Christianas Scholas ad aetatem iuvenilem in omni genere literarum, et bonis moribus usque ad annos maturioris aetatis instituendam. Itaque putat postea sic institutis licuisse inde discedere, et abire quo vellent; nam mox subiungit: Quae quidem nunc strictissimi sunt carceres. Ita bellissimus ille evangelicus, quem splendidi mendaciarum peragere possint principes viri, quibus nunquam in mentem venit Coenobia condere, et redivitibus augere ad aperiendas in iis Scholas, quod sexcentae foundationum tabulae docebunt.

Verum iuvat illotum hirsutumque Radensis mentum Laurentii Surii<sup>2)</sup> novacula radere. Ex uno illo Chronico (Hirsaugiensi) quo se vult Radensis tueri, abundantissime hominis vecordia confutantur. Nam in Monasteriis Monachi instituebantur iam Monasticen professi aut certe professuri, tametsi fortassis etiam admittebantur honestorum virorum id petentium pueri nonnulli, ut cum litteris una etiam pietatem apud Monachos imbiberent. Nec tamen sic dabatur opera literis, ut nihil praeterea fieret, ab eis. Imo poterat delirus iste ex regula D. Benedicti de cuius Monachis potissimum agit Trithemius, id perspicue discere, non licuisse Monachis quidquam divino operi, hoc est precibus horariis, et cultui divino in templo absolvendo antepone, nisi id fortassis certas ob causas rationi consentaneas alicui permitteretur. Itaque Monasteria eo potissimum spectabant, ut in iis ex Monasticae regulae praescripto in castitate, paupertate, et obedientia (cuius obedientiae votum iste miser vocat impiissimum) viveretur, ut divinis laudibus vacaretur, et tempus omne religiose expenderetur, idque ex Regulae et obedientiae praescripto. Hoc vero isti tenebriones vocant tristissimum carcerem, non utique sic dicturi, si vel micam haberent Christianae pietatis. Norunt enim homines in vera pietate exercitati, quantam animi libertatem et iucunditatem pariat eiusmodi propriae voluntatis abnegatio, et studium obedientiae: contrae vero, quam vere misera et dira sit servitus suae obsequi voluntati, suis indulgere affectibus et desideriis, quemadmodum faciunt hoc tempore apostatae Monachi, qui pertaesi evangelicae illius vitae, quae in Monasteriis bene institutis cernitur, ad ollas Ægypti, et saeculi atque carnis

Reiecta  
ipsorum  
commenta.

<sup>1)</sup> Surius in Comm. an. 1552. — <sup>2)</sup> Ibid.

voluptates redierunt. Cumque suam turpitudinem et foedissimam apostasiam in sacco et cinere plorare deberent, e diverso in reprobum dati sensum, criminantur vitam Monasticam, et ubique Magistratus instigant ad abolenda Monasteria, eorumque reditus et facultates in pios scilicet usus convertendas. Ita factum est, ut multis locis Monasteria destructa sint, quaedam vero mutata in Scholas, ubi pueri instituantur, contra ipsam Monasteriorum primam institutionem et foundationem.

Caput V. An sit contrarium statui Monastico literis operam dare, et alios docere.

Monachorum scholas non soli insectantur novatores, et solo aequatas velint; verum et Catholici quidam iacula in illas oblique torquere videntur, dum minus caute de iisdem loquuntur aut scribunt. Nescio in quae tempora inciderimus. Displicet quocumque se vertant Monachi. Si enim, ut queritur doctissimus Monastici ordinis vindex, in Coenobiis contemplatione, silentio, mortificationi sensuum, precibus, lacrymis et gemitibus, pro salute militantis Ecclesiae, se dederint, proclamantur inutilia terrae pondera, ventres pigri, qui bono publico nihil conferant.<sup>1)</sup> Sin pro publico bono Conciones ad populum instituere, animarum conversioni invigilare, Professuras Academicas adire voluerint, replicant alterum illud Hieronymi: Monachus non docentis sed plangentis habet officium. Scribit alius:<sup>2)</sup> Monachis utilius esse, non tantum singulis, sed toti congregationi, si in claustris maneant: institutum eorum ad hoc non tendere, ut nimirum doceant, praedicent: nec satis perspectum fore ecclesiis, nisi adsint alii, qui ex instituto suo et propria vocatione, ab ipsa Sede Apostolica ad hoc deputati sunt. Accedit nuperus e Galliis Theologus,<sup>3)</sup> qui ita pronunciat: Neque sane visum est esse prudentiae et aequitatis, res tantopere dissitas coniungere, quantum sunt Monachatus et disciplina seu Schola popularis. Eiusdem sententiae Nicolaus Vernulaeus,<sup>4)</sup> docet Rempubliam non debere uti Religiosorum opera ad docendum, sed eorum laboribus parcere, et instituto consulere. Subiicit: Profana illa literarum tractatio, et quae in Academiis est scientiarum varietas, divinis eorum occupationibus non satis convenit. Verum nimis dura haec crisis et animadversio, inquit Laurentius Landtmeter,<sup>5)</sup> quam et pluribus refutat, a me

1) Roman. Hag. Aul. Eccles. pag. 559. — 2) Laym. in Cens. art. 2, loc. 3, § 3, si textus. — 3) Nic. le Maistre Instaur. Ep. l. 4, c. 5. — 4) Vernul. Polit. l. 4, c. 8. — 5) Landtm. de Vet. Cler. et Mon. l. 2, c. 69.

modo nulla parte delibandus. Sed nec desunt, qui literarias istas exercitationes Regulae S. P. N. Benedicti adversari clamitent; quum ipse eiusdem sanctae Regulae capite XLVIII. cuius lemma est, De opere manuum quotidiano, plures diei horas eidem operi deputet, Scholasticae disciplinae nequidem meminerit. Alii denique Coenobia ex laicis et conversis, ut vocant, plurimum constitisse volunt, paucosque admodum ex Monachis fuisse sacris initiatos, qui literis operam darent. Quod ad depressionem fere Monachorum, quibus controversia cum Canonicis in causa praeeminentiae fuit, adferunt. Mirum tamen est, iis etiam tibicinibus fulciri eam sententiam, quae S. Benedicto Sacerdotii dignitatem abiudicat: quasi vero idonei testes censeriqueant, quibus sua utilitas potior est quam veritatis inquisitio.

Verum iam haec aliaque revincamus, et quantum licet refellamus. Atque in primis statuendum est, non parum alucinari eos, qui Benedictinos Monachos priscis illis, quorum Athanasius, Nazianzenus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, aliique meminerint, comparandos per omnia censent. Veteres enim maxima ex parte laici, vitam omnem in eremo et solitudine ut plurimum exigebant, nec animarum salutem accurabant, nisi ad Episcoporum imperia, tanquam auxiliares copiae, e claustris vel deserto vocarentur. Sed neque S. Basilii Monachos omnino imitari aut sequi S. Benedictus voluit. Quod ex eorum institutis et exercitiis inter se collatis liquebit. Par quidem orationis et psalmodiae utriusque Patriarchae cura fuit, abstinencia et corporis afflictatio moderatior quam apud antiquos Ascetas; sed divinae lectionis et studii non eadem ratio. Nam S. Basilii<sup>1)</sup> in his restrictior, vult Antistitem Monasterii, quae apud omnes scripta sint scientia comprehensa habere, ac ediscere, ut cunctos doceat multiplicem voluntatem Dei. Subditos autem ex Apostoli praecepto, non plus sapere quam oportet sapere; quae officii sui sint, studiosa discere; praeterea nihil: ut pro magno habeat,<sup>2)</sup> si quis illorum, quatuor Evangelia didicerit. At Sanctissimus Pater Benedictus Occidentium morem secutus, reipublicae Christianae viros eruditos, altaribus Ecclesiisque Sacerdotes et Pontifices diuturno studio praeparat. Certas horas lectioni sacrae attribuit, Quadragesimae tempore vult omnibus assignari singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant:<sup>3)</sup> deputari seniores, qui circumeant Monasterium, horis quibus vacant Fratres lectioni, et videant ne forte inveniatur frater acediosus, qui vacat otio, aut fabulis, et non

Benedictini  
magis ac-  
tiviae vitae  
dediti  
quam Ve-  
teres Mo-  
nachi.

<sup>1)</sup> Basil. Reg. brev. c. 23, 5. — <sup>2)</sup> Ibid. c. 2, 36. — <sup>3)</sup> Reg. c. 48.

est intentus lectioni. Sed nec dubitat, quin sacris Ordinibus, digni sint plerique dum scribit:<sup>1)</sup> Si quis Abbas sibi Presbyterum aut Diaconum ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit Sacerdotio fungi: tantaque fuit in

Monasterio  
Presbyteris  
et doctis  
viris olim  
ornata.

Monasteriis doctorum aequae ac piorum virorum copia atque praestantia, quos ad sacerdotium etiam primis temporibus assumebant Episcopi, ut necessarium visum fuerit, privilegiis munire Coenobia, ne plures invitis Abbatibus eriperentur. Quin et postea complures in Monasteriis Benedictinis leguntur docti Presbyteri, et aliis Ordinibus insigniti. Nam, si qua Trithemio<sup>2)</sup> fides, saeculo Christi octavo, in Fuldensi Monasterio vixere supra ducentos septuaginta Monachi, viri religione eximii, et, ut ipse loquitur, pro magna parte in sacris Scripturis doctissimi. S. Galli quoque Monasterium quantumvis in terra horroris et vastae solitudinis positum, non paucos sub Salomone Abbate, qui circa annum Domini DCCCXC. claruit, Sacerdotes, Diaconos et Subdiaconos numeravit. Quod ex his Ekkehardi verbis habemus:<sup>3)</sup> Sub isto Salomone fuerunt simul in Monasterio nostro Presbyteri XLII. Diaconi XXIII. Subdiaconi XV. Pueri, id est, iuniores, aut Novitii XX. Vides centum et amplius Monachos uno Coenobio conclusos omnesque sacris Ordinibus, si iuniores viginti eximas, initiatos; neque Laicorum, Conversorum, Donatorum, aut Oblatorum, quibus Benedictina Asceteria nonnulli replent, hic memoriam exstare.

Schola-  
sticae exer-  
citationes  
non sunt  
contra Re-  
gulam S.  
Benedicti.

Age vero dispiciamus, an Scholasticae exercitationes Regulae sanctae adversentur. Verum quidem est, sanctum Legislatorem nostrum inscripsisse caput XLVIII. De opere manuum quotidiano; sed ita illud cum Lectione partitur, ut dum stas cuique exercitio tribuit horas, tantundem fere temporis assignet Lectioni, quantum labori. Quin et illud extra controversiam est, Monachos illos Regulae S. P. Benedicti transgressores nequaquam censendos, qui horas ab ipso, operi manum destinatas, in studiis literariis aut aliis exercitiis collocant. Auctorem huius sententiae gravissimum produco B. Petrum Venerabilem,<sup>4)</sup> Cluniacensem Archimandritam S. Bernardi encomio celebrem, qui contra Cistercienses quosdam ita disputat: Si aliis bonis operibus occupare semper totius diei spatium Monachi possunt, quum ad hoc tantum ne ociosis sint operari praecipiantur, nonne illa agentes a praevaricatione Regulae omnino alieni permaneant? Plane ita, certe ita:

<sup>1)</sup> Reg. c. 62. — <sup>2)</sup> Chron. Hirsaug. ad ann. 838. — <sup>3)</sup> De Cas. mon. S. Galli c. 1. — <sup>4)</sup> Petri vener. l. 1, ep. 28.

velint, nolint adversarii. Et paucis interiectis: Ergo si orando, legendo, psallendo, iniuncta religiose implendo, vel alia quaelibet huiusmodi bona agendo animus occupatur, Regula, ut diximus, perfecte servatur: quoniam haec operando, Monachus non ociosus, sed bene negociosus in omnibus comprobatur. Probat exemplo S. Mauri, qui omisso manuum labore, spiritualibus exercitiis suos mancipavit, sicque sibi nuper a Sancto (Benedicto) traditam Regulam, bona semper operando, optime conservavit. Subiungit autem: Quod si se Beatus Maurus contra professionis suae votum agere intellexisset, cum in intellectu huiusce rei nullo modo falli potuisset, nequaquam sic suos vivere permisisset.

Quod Theologi Galli dictum spectat, perperam illud contraque historiae Ecclesiasticae veritatem prolatum esse, ex toto fere hoc opere postea liquebit. Sane si vel solius Bedae Historiam Anglicanam salutasset a limine, comperisset utique eam fuisse Monachorum media aetate exercitationem, et in Coenobiis tam liberalium artium, quam sanctioris vitae tradita elementa. Quid, an nescivit Ecclesiam Occidentalem multis seculis Monachorum studia mire approbasse, et magno fervore doctos e Monasteriis extraxisse, seque illis regendam summa devotione commisisse? At ubinam gentium tantam eruditionem comparaverant? In Scholis certe Monasticis, quae virtutum et omnis doctrinae ditissima emporia tum censebantur. In his per aliquot annos subacti, et quasi ad palum exercitati, scribendo, legendo, docendo, qui praestantissimus est discendi modus, in lucem prodire iussi sunt, et Ecclesiarum creati antistites.

Et iam utilius Monachis erit, quod alter volebat, si in Claustriis maneant? Scilicet relictum ab iis campum alii rectius occupaverint, ut in eo soli regnent, et albis ferantur quadrigis. Sed video quo forte collineent. Barbariem rursus in Coenobia immigrare cuperent, et libros situ squalleque in bibliothecarum forulis potius obduci, quam aperiri versarique a Monachis, quo vel ipsi ad erudiendos Coenobitas accersantur, vel virulento Monacho-mastygis(?) dieterio locus iterum detur: Nil indoctius Monacho. At illa iam pridem calumnia detera est, et doctissimorum Monachorum stilis toties confixa, ut Roterodamus magnum malum scapulis metuens, e Scholis Monasticis eruperit, evaserit.

Facessant igitur, quicumque Scholas nostras limis oculis aspiciunt, aut ex subsessis petunt, audiantque quid de iisdem Stephanus<sup>1)</sup> Tornacensis Episcopus quadringentis et octoginta abhinc annis pro-

Earum  
usus  
antiquus

Utilis et  
laudatus  
in Monachis.

<sup>1)</sup> Steph. Ep. 97.

nunciaverit: Habet in Claustris sapientia regulas suas, erigens sibi Scholas, inde veritatis, hinc virtutis. Ita praeter innumeros alios censuit Petrus Ribadineira, qui Scholas

Societas  
Jesu Bene-  
dictinorum  
exemplo  
Scholas  
suas de-  
fendit.

Societatis Benedictino potissimum propugnat exemplo, dignusque videtur, qui colophonem his imponat. Ita igitur<sup>1)</sup> scribit: Divus Benedictus, Monachorum in Occidente parens, pueros in Coenobiis educabat, informabatque ad pietatem (in eum fere modum quo Societas nostra quibusdam in Collegiis separatim nunc facit) sic Placidum et Maurum puerulos a Benedicto<sup>2)</sup> receptos legimus, et in

omni genere virtutum excultos atque perfectos. Quae consuetudo diu postea tenuit. Nam D. Gregorius Anglos pueros magna diligentia, conquiri iubebat, et in sui Ordinis Coenobiis ali atque educari.<sup>3)</sup> Et D. Thomas Aquinas longo post tempore in Cassinensi Monasterio a puero institutus est.<sup>4)</sup> Neque vero pueros fingeant Monachi S. Benedicti ad omnem tantummodo virtutis laudem, sed etiam disciplinis, et omni scientiarum genere instruebant. Nam et in Germania, et in Gallia, et in Anglia, magna cum laude docuerunt: authore et principe huius instituti Venerabili Beda, qui ante annos 800. in Anglia docuit, et Scholae praefuit: in cuius locum postea successit Albinus, Caroli Magni Praeceptor, et in locum Albini Rabanus Abbas Fuldensis, qui postea etiam Archiepiscopus fuit Moguntinus. Et Monachi S. Benedicti collegia (quemadmodum nos nunc habemus) habuerunt, in quibus docebant, scilicet quae nos nunc docemus. Ut videre est apud Joannem Trithemium<sup>5)</sup> Monachum et Abbatem eiusdem Ordinis, qui rem totam diligentissime persequitur. Atque ea re tantopere floruit Ordo S. Benedicti, et doctissimis sanctissimisque viris abundavit, quorum doctrina universam Ecclesiam illustravit.

Caput. VI. Scholae in Monasteriis Orientalibus ante aevum S. Benedicti. Ipse primus illarum in Occidente Auctor et Institutor. Huius instituti non una causa.

Vetus et solenne ab antiquissimis temporibus in quibusdam Orientis Coenobiis fuit, ut in iis bonarum artium doctores constituerentur. Cuius instituti primum auctorem Basilium Magnum libenter fecerim. Is enim licet, ut iam vidimus, operi manuum et rusticationi plusculum tribueret, quum tamen totam rem asceticam instruit, et Coenobiorum rationem: etiam adiungit graves et sapientes admonitiones de cura iuventutis, de Scholis, de Professoribus et puerorum delictis puniendis. Nec tantum pueris Monasterio addictis

S. Basilium  
Auctorem  
Scholae in  
Monasteriis  
Orientalibus.

<sup>1)</sup> Ribadin. Vit. S. Ign. l. 3., c. 23. — <sup>2)</sup> D. Greg. in Vit. S. Bened. — <sup>3)</sup> Joan Diacon. lib. 2. de Vir. S. — <sup>4)</sup> Greg. in Vita. S. Thom. — <sup>5)</sup> Trithem in Chron. Hirsaug. Ao. Dom. 854, et 890, et 952.

sed etiam secularibus Scholas suas patere voluit. Interrogatus enim Numquid conveniat ut inter fratres sit Magister puerorum saecularium? Respondet,<sup>1)</sup> nihil prohibere se, dum ea mente tradantur a parentibus, suscipiantur a Magistris, ut in disciplina et correptione Domini educentur. Sed nusquam plura de his habet quam in Regulis fusius disputatis, ubi interrogatione XV. disserit de aetate qua pueri in Coenobium admittendi, quos seorsum in loco a fratrum collegio separato educari et exerceri praecipit, cuius decreti hanc inter alias adfert rationem: Qua ex re illud etiam commodum sequetur, quod in praeceptorum commentatione adolescentulis necessaria, strepitu illo, qui illam solet comitari, reliqui Monachi non offendentur. Paucis vero interiectis omnem studiorum rationem ita exponit: Illud quoque considerandum est, ut literarum commentatio instituto nostro conveniens sit, ut et Magistri scilicet vocabulis in sacris literis usitatis apud ipsos utantur, et loco fabularum historias ipsis rerum mirabiliter a Deo gestarum enarrent, itemque sumptis in Proverbiis sententiis ad virtutem erudiant. Profuerit illis, si proponentur praemia memoriae cum rerum tum etiam verborum. Siquidem fiet hac ratione, ut quae velimus, ea iucundius ac facilius sint percepturi, nulla cum molestia, nullaque offensione: atque etiam qui ista aetate sunt, ii recte educti, et mente esse attentiores, et cogitatione minus temere aberrare consuescent, si a Magistris identidem interrogentur, quo dirigant mentem, quid secum versent cogitationis. Haec ibi. Ex quibus videas quantam curam adhibuerit sapientissimus vir, ut pueri virtutem cum literis imbiberent. Quia vero aetas illa severius subinde regenda et in officio continenda est, hinc in iisdem Regulis interrogatio LIII. ita exprimitur: Quomodo artium Magistri peccantes pueros corrigere debeant? Meminit etiam Cassianus<sup>2)</sup> Scholarum, quae erant in Coenobiis, ubi Paphnutius Abbas, sacerdotii candidatus, primis pueritiae annis institutus fuit. S. Joannes Chrysostomus habuit doctores Philosophiae et Sacrarum literarum, Cartesium et Diodorum, qui tunc temporis Antiochiae celebribus Monasteriis praesidebant, ut auctor est Sozomenus.<sup>3)</sup>

Quid de puerorum instructione praescripseri.

Atque haec de Scholis Basilianis aliisque in Oriente ante tempora S. P. Benedicti, qui ubi Italiae tanquam lucidissimus sol exortus est, et per Occidentem sanctitatis atque sapientiae non vulgaris radios spargere coepit; nihil antiquius habuit, quam exemplo magni Basilii veterumque ascetarum, ingenuam puerorum in-

S. Benedictus scholas Monasticas in Occidente primus instituit.

<sup>1)</sup> Basil. reg. brev. c. 29, 2. — <sup>2)</sup> Cass. Collat. 3, c. 1. — <sup>3)</sup> Sozom. Hist. lib. 8, c. 2.

stitutionem accurare. Primus itaque, quod sciam, vel inter primos in Occidente Scholas formandis ad virtutem et doctrinam adolescentium animis in Monasterio aperuit.

Ad rei-publicae bonum. Noverat sane sapientissimus Patriarcha a recta iuventutis institutione non privatam dumtaxat cuiusque domus bonum, sed et Reipublicae Christianae felicitatem quodammodo dependere. Quod quam verum sit, ipsae provinciae, ipsa Regna late per Europam diffusa satis superque loquuntur. Quid enim an non illa depulsis, Monachorum opera, ignorantiae tenebris, posita morum feritate, ad humanitatem verique Dei cognitionem pervenerunt? Quae regio eo fructu non laetatur, et his artibus felicitatem suam non adscribit? sed haec alias rectius memoravero. Jam ad magnum Monachorum Ducem redeo, quem ego mente divinitus mota pulcherrimo operi manum admovisse crediderim.

Et ad privatam iuventutis utilitatem. Compertum illi erat, quam corrupti mores, quam soluta esset in saecularium Scholis disciplina. Nam Romae, ut scribit magnus Gregorius,<sup>1)</sup> liberalibus literarum studiis traditus, cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem: ne si quid de scientia eius attingeret, ipse quoque in immane praecipitium totus iret. Illo periculo doctus, et a Numine ad sanctiorem Religionis Scholam eductus, ut reipublicae consuleret, Scholas in Monasteriis erigendas curavit, in quibus sacri Deo homines Christianam simul modestiam et pietatem, cum eruditione literarum, in adolescentulorum mentes infunderent. Est enim ille sapientiae cum religione nexus plane divinus, quem Lactantius Firmianus<sup>2)</sup> commendat, cum iidem sunt doctores sapientiae, qui et Dei Sacerdotes. Siquidem ingens non modo in adolescentiam, sed in omnem quoque vitam redundat utilitas e Magistris, quorum adeo commodi sunt mores et perfecti, ut oculus ipse atque praesentia, sit modestiae et virtutum omnium stimulus atque magisterium. Nimirum in Monachis et religiosis, profanae litterae quodammodo sacrae fiunt, et ex illa morum et studiorum coniugatione, e scientiae et sanctimoniae complexu, iucundum aliquid divis et hominibus, mundoque salutare progigni necessum est. His sane paedagogis teneri puerorum animi ad virtutem simul et eruditionem probe conformantur; horum praeceptiones, monita, dicta, facta altius menti imprimunt.

Quin et illud non nesciebat divinus Monachorum Legislator, presbyteros et sacris initiatos, quales plerique Ascetarum erant, literis probe imbutos in pretio fore, adeoque videri propriam ipsis clavem scientiae,

Scientia  
sacris ho-  
minibus  
propria.

1) Greg. lib. 2. Dial. c. 1. — 2) Lact. lib. 4, c. 3.

tum divinae, tum humanae. Nec sua ipsum expectatio auto pinio fefellit. Nam fuit aliquando tempus, quum propter hanc Monachorum in omni genere literaturae peritiam, communi dicto iactaretur, solos Monachos literas nosse. Quod posterioribus saeculis ad Clericos quoque derivatum ferunt. Itaque apud Gallos, quum significare vellent quempiam eximie doctum, eum dicebant Magnum Clericum, quod etiam nunc in communi usu et consuetudine loquendi versatur. Unde et Guilielmus Parisiorum Episcopus, Scholae moderatorem ita loquen temprodit: Hic est Clericus meus, hic intrat Scholas meas, hic incipit sub me.<sup>1)</sup>

Denique cui non in mentem veniat sanctum Patrem ea quoque ex causa excolendis iuvenum studiis Gymnasia statuisset, ut ea non praestantium dumtaxat virorum, sed et Monachorum seminaria aliquando forent? Res clara et hodie non infrequens, ex proba iuventutis institutione, id bonum in religiosas familias quoque derivari, ut delectum ingenuorum adolescentum habeant, dum plerisque studiorum tempore mens mundi deserendi, et Deo perpetim in Religione serviendi iniicitur. Vacua iam olim incolis Coenobia fuissent, nisi candidatam disciplinae coelestis sobolem Scholae quotannis immisissent. Cuius quidem tanta fuit foecunditas, ut in alias atque alias mundi provincias coloniae deducendi fuerint.

Scholae  
Monasticae  
seminaria  
Religioso-  
rum.

(Continuatur in fase. seq.)

<sup>1)</sup> Guil. lib. de Monib. c. 7.

